

ponam, dein, quid ego de hac re sentiam, proferam, tum propositis quibusdam quaestionibus, quae ad hunc locum spectant, et firmare sententiam meam conabor, et, quae in vulgari definitione minus recte posita, et quare, videantur, vberius tradam, quaeue obiici mihi posse praesentiam, remouere studebo, periculumque faciam, possintne pro hac, quam iam sequutus sum, ratione facilius quaedam res, de quibus disputari solet, diiudicari, quam quidem id fieri posse sentio ab iis, qui consuetam et communiter receptam viam in hac re ingrediuntur.

§. II.

SOLLEMNIS DOCTORVM DEFINITIO SEQUESTRI.

PRIMUM igitur, vt diximus, differendum erit de ea ratione, sequestrum definiendi, quam omnes fere doctores sequutos esse video. Qua in re mirum inuenio omnium fere consensum. Plerumque enim sic solent finire sequestrum iureconsulti nostri, vt dicant, rei litigiosae depositum esse. Quam finitionem quum dico vulgarem et communem iureconsultorum nostrorum, vix puto, quemquam futurum esse, qui aut neget id, aut in dubium vocare audeat. Ita enim plerumque legimus scriptum, ita erudiri in scholis solemus, vt potius verear, ne mirum cuiquam videatur, hanc definitionem tam vnanimi fere consensu probatam, improbari a me et impugnari, quam, ne quis a me exigat, vt probem, sollemnem hanc esse doctorum definitionem. Sed ne qua in re statim ab initio defecisse videar, nominabo ex multis paucos, qui ita definierunt. Sunt vero celebratissima nomina SAMVELIS STRY-